

## SATIRA CONTRA ABUSUM TABACI, AD AEMILIANUM ALOYSIUM GUEVARRAM.

- T1A v.1 Nempe hoc cottidie ! Donec nox Gadibus ortum  
 2 abscondat solem, cum spumet cella Falerno,  
 3 dolia rumpantur, bibis, Aemiliane, tabacum !  
 4 Quin et subsidium poscis, centumque recentes  
 5 emisti libras a mercatore Batavo !  
 6 Certe sanus eras ! Quae te furiavit Erinys ?  
 7 Quis mentem minuit veratro, aut expulit omnem ?
- T1B v.1 Primo fige loco : dirae quod deditus herbae  
 2 instar leprosi vitetur ubique Garelli.  
 3 Hoc hominum, pecudumque genus, multo eminus ante  
 4 a stadiis tribus olfacias. Non talia ructant  
 5 Alia messorum ; nec septem funera tantum  
 6 foetorem mittunt. Minus intolerabilis hircus,  
 7 qui centum uxores olidas ad pascua ducit.  
 8 Horret ad occursum, trepidatque puerpera pallens,  
 9 et resilit, tamquam pedibus si presserit anguem.  
 10 Ac merito : nam quanta subit discrimina partus ?  
 11 Ne generet monstrum, cujus sint torrida labra,  
 12 atraque, et aspectae vix aspicienda parenti.  
 13 Et quid si e medio penderet fistula vultu !  
 14 Proinde pyraustarum tribus est fugienda : volantem  
 15 ut fugit accipitrem procul aversata columba.  
 16 Frontem impollutam sit fas avertere ; si non  
 17 admotis manibus clipeatum opponere nasum.
- T2 v.1 Interea bibitur. Stat pro ratione voluptas.  
 2 Serius admoneas, an cum Frontone joceris ;  
 3 tantundem est, ac si muri murove loquaris,  
 4 durat propositum, sociorum urgente catena,  
 5 quidquid agas contra ; juvat indulgere furori ;  
 6 insanire juvat. Citius depellere possis  
 7 gangraenae chelas. Audi, et miserere tuorum,  
 8 impransus Stratocles incenatusque manebit :  
 9 si modo speratis Hollandia pascat orexin  
 10 lautitiis. Quia suave melampodium petasone  
 11 aestimat hercynio pluris. Strue fercula longo  
 12 ordine : gallinas montanis nomen habentes  
 13 a nivibus : guttatam aliam, ripisque propinquam  
 14 Phasiacis. Pavo jactantior explicet astra,  
 15 et sub se turdos lato premat orbe minores.  
 16 Junge gravem mullo rhombum, pone ostrea, quot vis,  
 17 Anconitano munus de litore missum.  
 18 Omnibus his fumum dilectae praeferet herbae.  
 19 Juniperi granis defectum Corbulo supplet ;  
 20 (Corbulo, cui viduae tantum nupsere crumena)

- 21 Maza nucum foliis. Gargilius addit anisum.  
22 Stemisius lupulos. Nonne haec manifesta phrenesis !
- T3 v.1 Aspice : ut exsultim buccas Cornelius ambas  
2 inflat, et obliquis subridens ludit ocellis !  
3 Aspice Marcellum : quemque Acroceraunius aequat  
4 Marcostam ; et si quos alios felicibus ovis  
5 nitens bisgeminos uno dedit Embrica partu.  
6 O qualis facies, et quali digna tabella !  
7 Si video longa manantia labra saliva,  
8 distentos flatu vultus cum Pallas in amne  
9 aspiceret, toto se turpem exhorruit ore ;  
10 et defoedantem calamum projecit in undas.  
11 His decor est, ringi. Qui foedius oris hiatum  
12 distorquere potest, ut Juppiter iracundus,  
13 et jam Phlegraeis sparsurus fulmina campis ;  
14 is potior. Palmam tota ex statione meretur.  
15 Omne tulit panctum, ut pastores inter Amyntas,  
16 et chartas inter pictas prae rege valens Sus.  
17 Per nebulas nebulonum atras graveolentis Averni  
18 ursorum apparent rictus, atque ora leonum,  
19 apparent pardi, flammisque armata Chimaera.  
20 Praesertim quoties posticum Quello foramen  
21 exstimulans, digito veluti modulante coruscat.  
22 Quo ritu lyricen buxumque, utremque laccessit.  
23 Irritat sese petulans dolor, et peregrinos  
24 singultus miscet, peregrinae sibila linguae.  
25 Absistunt oculis flammae ; lacrimaeque sequuntur  
26 et gemitus, quales vix edere parturientes  
27 Lucina tardante solent. Praedulcis amari  
28 luxuriosa sitis tormentum fortius optat ;  
29 flet miser, et flendi causas amat, usque adeo jam  
30 assuetudo mali tenet ac viscosa tyrannis  
31 captivum ; poenaque volens cruciatur amata.  
32 Supplicii genus insolitum, tunc est bene multis,  
33 cum male. Dilecti placet inclementia morbi.
- T4 v.1 Ut cupiat, cessare nequit. Sorbere necesse est.  
2 Mille argumentis. Causas habet Olpa bibendi  
3 sescentas : quamquam et nullas habet. Utitur illo :  
4 sic volo, sic jubeo ; sic urget dira libido.  
5 Inductum magicis credas ad talia rhombis.  
6 Ni faciat, sibi quod miser imperat, aegrotare  
7 incipit ; et larvas patitur, quascumque dolenti  
8 Phantasus insputat. Nocturna insomnia vexant ;  
9 languenti stomacho deest flamma, vigorque coquendi,  
10 febris in insidiis ; bilis se splendida solvit.  
11 Per totum corpus grassatur soticus humor.  
12 Jactatum huc illuc fertur caput omne petauro,  
13 nonne igitur potu tanti vacuanda mali vis ?  
14 Dixit. Et ardentem panaceam funditus hausit.  
15 Continuo redeunt vires. Ita lubricus augur  
16 suadet imaginibus vanis sentire Phobetor.  
17 Desiit aurugo. Pungens cephalaea resedit.  
18 Exemptus nervis acor est. Sua dentibus albis  
19 ordine stat series ; confirmatique molares  
20 officium faciunt. Gingiva tumore soluta  
21 duratur. Pituita cadit, pellente tabaco.

- 22 Quid facias ? Fortasse neges et somnia dicas.  
 23 Jurabit magno per stagna incognita soli,  
 24 diis cunctis. Stygias jubet hoc audire paludes.  
 25 Vitam non aliter sanam se ducere posse.  
 26 Illusae jam nunc expende crepundia mentis.  
 27 Ante mare et terras audaci puppe resectas,  
 28 insuetum per iter fortem vectante Columbum ;  
 29 laeta valensque diu, viridisque et vivida suco  
 30 pluribus obvenit, canisque aspersa senectus.  
 31 Nunc quoque. Si numeres, crebris jam perculit illum  
 32 annus solstitiis : tergo hujus lustra bis octo  
 33 cum tribus incumbunt ; huic integra vivitur aetas ;  
 34 quorum nemo tamen Brasilam tetigisse cicutam  
 35 scitur, et hoc aeque Stygii per numina fontis  
 36 jurabunt, magno per stagna incognita soli.
- T5 v.1 Quale pavementum ! Totum ex pulmone madescit !  
 2 Imbricibus credas nimbos per devia fusos ;  
 3 aut spumam ferventis equi cecidisse lupatis.  
 4 Tot sputis humus est quasi tessellata. Redundant  
 5 phlegmata, torrentis ritu. Flaventia rubris  
 6 mista cadunt, ac si rupissent ulcera centum.
- T6 v.1 Cur non exclamem ? Quantum est in rebus inane ?  
 2 Quandoquidem multi solo pascuntur inani,  
 3 in solo causa est vivendi et vita vapore.  
 4 Vita quid est hominis ? Respondeat hybrida : fumus,  
 5 aura, vapor ; recte. Quid vivere ? vescier aura ;  
 6 per Jovem, et hoc recte. Consentit Musa Maronis.  
 7 Paeticolas certe mensura hac vivere certum est.  
 8 Quid facit Isulcus ? Vivit. Nam vescitur aura.  
 9 Quid Gagarellus agit ? Respirat. Vescitur aura.  
 10 Quid Proculus : ridet, flet, foetet. Vescitur aura,  
 11 vix surgens Aurora novum jubar intulit orbi ;  
 12 poscit, et ad calidum defertur fistula lectum,  
 13 ut matutinos obfuscet ganeo soles.  
 14 Non procul attrita pendebit cantharus ansa.  
 15 Haec sunt prima Deo vigilans quae tura ministrat.  
 16 Tantum Bertrandus, (res compertissima) paeti  
 17 intra aliquot menses exsorbet faucibus unctis ;  
 18 tres anno ut quovis Brasilas emulgeat orcas.
- T7 v.1 Plaustra videre licet dorso portantia cretam  
 2 de meliore nota, quam terra Britannica gignit.  
 3 Ex hac ingentem siphonum fingere norunt  
 4 materia numerum. Fora plena canalibus albis,  
 5 utque duces belli tormenta curulia longo  
 6 ordine disponunt, primam factura ruinam ;  
 7 multiplices calami tabula statuuntur in una,  
 8 quo lubeat fumum facere, et jaculare pyropos.  
 9 Sed nonne et plures figuli haec quoque castra sequentur !  
 10 Haud operae pretio spernendae. Qualibus autem  
 11 fistula, quam mitis datur insignita figuris !  
 12 Haec Othomanigenum faciem gerit, absque tiara :  
 13 Persarum haec cidarim. Mystax dependet ab ore  
 14 hirsuto, et Xerxem vesanum larva minatur.  
 15 Assimulant aliae variarum monstra ferarum,  
 16 quotquot in Aegypto venerata est tinnula Memphis.

- 17 Nusquam non prostant. Quot habent jam nomina cannae !  
 18 Navis, piscis, equi : vel si quod nobile pignus  
 19 Mopso Nisa dedit, quid non furor audet amantum !  
 20 Haec canna est Phyllis ; canna haec Amaryllis Iolci,  
 21 ista Paris, vel Demophon, vel mascula Sappho.  
 22 Da mihi Bucephalum ; da, Condyle, Bucentaurum,  
 23 me capito pascat : me mugil inebriet. Haustu  
 24 indigeo majore, et se geminante lucerna.  
 25 Tempora lentus enim squalentia macerat humor.  
 26 Ballista vegrandi opus est, ut eatur in hostem.  
 27 Jam jam longa tubis succedent cornua parvis.  
 28 Ut purgaturus medicato viscera suco  
 29 ex latebris avido cervus trahit ore cerastas ;  
 30 sic e cervino cornu, cognominis hujus  
 31 Hirtius, oblongo ducit siphone tabacum.  
 32 Cervus inardescens fontes inquirat aquarum.  
 33 Hirtius in trullas spumis cerealibus albas  
 34 pallentesque ruit collo tenus. Hausit et ipse  
 35 toxica, quae celeri sint discutienda lagona.  
 36 Fiunt ista palam, tandem sumetur et alcis  
 37 ungula ; quaeque onagro forte excidit atque bisonti.  
 38 Ne sua Romanus tantummodo pocula luxus  
 39 jactet, et ex auro stantem cum remige classem,  
 40 longo abaco ; liceat modo vivere, murrhina fiet  
 41 fistula, et electri crustis circumlita fulvis ;  
 42 fumabunt costae Heliadum, fumavit et harum  
 43 frater in Eridano, currus auriga paterni :  
 44 quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.
- T8 v.1 Quid potum accuso ? Scinduntur edulia pejus.  
 2 Invenias, qui ut liba vorant, ventremque trementem  
 3 frugibus Americae stipant. Sitne haec gula frugi !  
 4 Mattea talis erat tamen ignorata Neroni,  
 5 debetur nostro boletus opimior aevo.
- T9 v.1 Ecce aliud celebris vas admirabile buccae.  
 2 Inventum si non videas, vix credere possis ;  
 3 attribui dignum Persis auctoribus, ex quo  
 4 miscuerunt viles Satrapis carchesia lixae.  
 5 Fusilis ampullam labro tenus unda coronat  
 6 impletam ; tubulusque duplex imponitur ori.  
 7 Si flammae admoveas spiracula ; fumus et una  
 8 tempestas oritur, commotaque turbine crescit.  
 9 Aegaeo qualis deprendit in aequore dulcem,  
 10 Alcyone, Ceyca tuum, volucremque remisit.  
 11 Imparibus bombis elisus fluctuat aer.  
 12 Sordidus ad summum fundo furit aestus ab imo.  
 13 Sordidus ad summum fundo furit aestus ab imo.  
 14 Quem strepitum limax fervente coquendus in olla  
 15 edit, donec adeps canusque exuberet humor.  
 16 Sic Osca "biblit", sic stridet voce Latina  
 17 cottabus. In vitreo resonant hydraulica gutto.
- T10 v.1 Sed quid, cum discunt bibere, et potare docentur ;  
 2 seria res agitur, multis hortatur Adherbal  
 3 ductor ; et incipiens trepidat balatronis alumnus.  
 4 Accura primum, mi Caeciliane, monebit,  
 5 semper ut in promptu tibi sit fumosa supellex.

6 (Judaeo ut cophinus, vel praeceps alea jactu)  
 7 deinde aliquid madidi. Nec plura locutus, id ipsum  
 8 astruet exemplo princeps. Nam more Biantis  
 9 divitis ex solo gibbo, fert omnia secum  
 10 cara. Nihil reliquum Fortunae curat acervum,  
 11 salva una capsula fatali, salvus et ipse est.  
 12 Vix votum differt. Ut stuppeus ardet, et ejus  
 13 uritur aspectu ! Theca monstrabit aperta  
 14 divinum hunc fruticem, quali sudore perunctum.  
 15 Ignores, (variat rumor, divinatur haruspex).  
 16 Associata silex jacet, unde domesticus ignis ;  
 17 attritusque chalybs, funesque bitumine tincti.  
 18 Hae sunt divitiae, quas capta ex urbe reportet  
 19 incolumes solas. Quid curet cetera ? Balthis  
 20 avehat ; et praedam Stokolmae cymba reponat.  
 21 Inter sarcinulas cunctis pretiosior ista est  
 22 sarcina paeticolae. Quippe hac servatur anhelae  
 23 flos animae, fructus decerptus ab arbore vitae,  
 24 quo lapsas vires instauravisset Adamus  
 25 integer, et nondum Pomonae obnoxius Evae.  
 26 Exin, membrana posita, vis magna tabaci,  
 27 nimirum niger atque ingens evolvitur anguis.  
 28 Herba sit ista licet, latet hac tamen anguis in herba,  
 29 quem decies in se collectum spira retorquet.  
 30 Ne dubites : Brasilis erepsit finibus, (aut hunc  
 31 verius Haemoniae cantu elicuere novercae)  
 32 certa fides. Novit primo deprendere morsu,  
 33 cujus massa notae ; quo sit sub sidere nata,  
 34 quin solo aspectu patriam nomenque genusque  
 35 colliget, et dicet : locus hic, ubi crevit, in Austrum  
 36 vergit, et aestivo glebo est subjecta leoni.  
 37 Scinditur in partes : ex bracteolisque minutal  
 38 desuper accensum tironi porrigit audax  
 39 Iapetionides ; praeceptaque comiter addit  
 40 et monitus. Sic ergo ferēs, sic ora tenebis :  
 41 maxillam sic dispones, sic brachia duces.  
 42 Admotam cerae sic inspirabis avenam.  
 43 Ut rigidus quondam Chiron fingebat Achillem,  
 44 cum docuit telis herbisque potentibus uti.  
 45 Ex hoc noster eris, nimborum bucco creatus  
 46 ventorumque potens, (Lapithisque simillimus) alter  
 47 Hippotades, pontum et terras qui turbine perflat.  
 48 Tu quoque contiguas aedes perflabis et urbem,  
 49 rumpantur licet, et digna atque indigna relatu  
 50 perpessi indigenae, te conivente, querantur.  
 51 Disce oris formare metrum, varieque reflexo  
 52 anfractu laborum animosas excipere auras.  
 53 Ipsum Tritonem vincas, cui tortilis Euro  
 54 concha tumet. Molles cathedras vitare memento ;  
 55 sed potius nostris adsuesce libens hypogeis,  
 56 (qualia textores gemmis radiantibus implent,  
 57 fructa suas quando verrucas corpora ponunt.)  
 58 Exue Narcissos teneros, nec non Hyacinthos  
 59 imbelles contemne : viros haec factio poscit  
 60 Hectoreos (quorum conjux erit hectica febris :  
 61 Hectorea Andromache meliori debita lecto.)  
 62 Non dociles fragrare rosis violisque (sed imae  
 63 Junonis laser et glandes ructare palato.)

64 Disce quid est virtutis odor : contemnere nardum,  
 65 aspernari omnes apothecas. Unica cunctos,  
 66 o felix panaces, in morbos sufficit herba.  
 67 Chrysogoni fingant crispos, faciemque venustam ;  
 68 tu frontem planam nostro sulcabis aratro,  
 69 torvus, et in rugis tanto formosior ipsis.  
 70 Quaero : num Melitensis eques, vel in ordine Princeps  
 71 Teutonico factus, seu justo Marte futurus,  
 72 tot subeat ritus ; sollemnius arma capessat !  
 73 Haec ubi dicta, praeit ; sed tamquam Daedalus alter,  
 74 postquam animum artificem volucres demisit in artes,  
 75 Icarique mari ; tunc nato adstrinxit habenas  
 76 alitis humani, secumque ascendere jussit,  
 77 et movet ipse suas et nati respicit alas.  
 78 Inflat, et inflatum siphonem tradit. Iulus  
 79 conatur sequiturque patrem non passibus aequis,  
 80 territus ad primi non grata crepuscula fumi.  
 81 Nam caput ascendit, nec scalis utitur ullis ;  
 82 sed postquam ascendit, mirabiliter tonat intus.  
 83 Eheu ! quam foedos imitatur simia rictus !  
 84 Succedunt foedi porcorum denique ructus ;  
 85 et vel Bassaridum fastidia quidquid in aula  
 86 Circaea gestum est, praesentius exhibet Aulus,  
 87 quem, Ludovice, parem genuit tibi celsa Tyrolis.  
 88 Sed jam tecta crepant. Titubans, inversaque fornax  
 89 ambulat, et sursum vertuntur cuncta deorsum.  
 90 Mirum, ni penitus totae intremuere cavernae.  
 91 It caelo risus, vocemque per ampla volutant  
 92 atria, nullius terret reverentia nasi.  
 93 Si quis amans aequi, si vir civilis honesti,  
 94 sobrius atque gravis. Vapidaeque abstemius aurae  
 95 forte interveniat, nube involvetur eadem.  
 96 Ut subito cecidit miser Amphiaraus ad umbras,  
 97 inscius, infelix, et nondum frena remittens.  
 98 Quis tunc non cupiat sua seque recentibus ovis  
 99 lustrari, aut saltem purgari flumine vivo,  
 100 ut rursus commune forum, communia templa,  
 101 audeat et coetus, hominesque revisere sanos.

T11 v.1 Prima rudimenta atque infaustae exordia pugnae  
 2 compensant alii ciniflones, ac labeones,  
 3 quos penes est paetum lacerandi aequaeva potestas.  
 4 Nam servatur honos. Ex diri germinis usu  
 5 discretos certa servant aetate triumphos.  
 6 Praefertur senior. Summates corpus obumbrant  
 7 totum fumando. Jures undantis aeni  
 8 spumis nubivagam subtexere Colchida caelum.  
 9 Haut secus, ac Nycteus, Aethon, Orphnaeus, Alastor,  
 10 noctis equi, tenebras elatis naribus efflant.  
 11 Maenadas et Satyros credas concurrere thyrsis.  
 12 Dum vero potant, aliquid plorabile secum  
 13 nequitia frangunt : odiosum qualibus uxor  
 14 lamentis effert in funere laeta maritum.  
 15 Ploratus retuli. Sed quae triscurria ! Quando  
 16 horas comburunt, nemo est securus honoris :  
 17 denigrata cohors absentum nomina, mores,  
 18 et famam quamvis candentem denigrat una.  
 19 Hanc apud incudem facile est carbone notari.

20 Lingua fit ex molli membro tonsoria forfex  
 21 et capita alta secat, plebeiaque segmina miscet.  
 22 Perdis Nise tuum, scurra tondente, capillum,  
 23 nec jam Scylla rea est, perdis fortissime consul  
 24 Cincinnate comam, Samson spoliatur, et horum  
 25 ad serrata cadunt septem ludibria flocci,  
 26 nulli barbato fumosa novacula parcit.

T12 v.1 Permutant quandoque vices, et harundo datatim  
 2 circuitu transumpta sapit. Certatur in orbem,  
 3 non sine delectu. Sed major habetur, ab ortu  
 4 quisquis in occasum majora volumina torquet.  
 5 Utque nola stulti nequeunt clavaque carere,  
 6 sic instrumentis fumum facientibus isti.  
 7 Ostentare palam praefixum in fronte galeri.  
 8 Glasta sinu educit, nebulo quo maximus ipse  
 9 conditur, et semper lecto requiescit eodem.  
 10 Est et amicitiae quoddam venerabile nomen  
 11 hos quoque collegas inter. Stant foedera saxo  
 12 occisaeque suis firmata calentibus extis.  
 13 Se socios, et quod tenerum magis est, socienos,  
 14 se fratres, Pyladesque vocant. Cum Castore Pollux  
 15 incedit, mutantque situs, ut clara Lacones  
 16 Astra et equum. Nihil his possit conjunctius esse.  
 17 Jamque etiam, nullo respectu, incudibus instant.  
 18 Quisque faber dici cupit, hic Steropes Liparaeus ;  
 19 hic Brontes panno nigrantia gausapa rubro  
 20 festive exornans ; hic nudus membra Pyracmon.  
 21 Dignior o quanto nudandus terga vocari ;  
 22 terga quater denos ictus merita, haud minus uno.  
 23 Vulcani titulum sortitur, si cui circum  
 24 labra frequens et jam millesima fistula venit.  
 25 Ille tibi praefertur, Misene, et tibi, Tarchon.  
 26 Quamvis armisona nomen teneatis uterque  
 27 immortale tuba, Nicotia buccina vincit.

T13 v.1 Narrabo vitam medica praestantis in arte  
 2 illustrisque viri. Fama in sublime volavit,  
 3 corpus sub tumulo est. Non major in Orbe tabaci  
 4 helluo, nec tantus remos urgebat amator,  
 5 ne quidem apud Batavos. Nimium converterat usum  
 6 prodigii in laudes, uno caruisse die, vel  
 7 hora, justitium non credidit esse ferendum.  
 8 Aegrius abstinuit, quam litigiosus Alermo  
 9 causicis : uxor vino gibbosa meraco.  
 10 (Vix solet octonos lympham miscere deunces)  
 11 aegrius abstinuit, piperis quam Clusius emptor  
 12 fraudibus atque dolis : quam furtis Fisco poeta ;  
 13 deprensa in nostro toties cornicula nido  
 14 quam Gallus miles gallinis, Hospa cothurnis ;  
 15 Hospa novem cubitos longus, si dempseris octo.  
 16 Verbo : quam populus Romae circensibus olim.  
 17 Hic ergo Dominus, dominos mutare paratus,  
 18 (si castigarent) et plena palatia magnis  
 19 regibus ; a paeti foliis tamquam moribundus  
 20 assiduam poscebat opem, prostratus ad aram.  
 21 Cum bibit, Ambrosiam Superis nectarque remittens,  
 22 non aliud quidquam conferri posse putavit :

- 23 nec Cilicum nimbos nec si Paestana roseta  
 24 Phaeacumque nemus, vigilataque poma probares ;  
 25 interdum glomerans nebulas sibi suaveolentes,  
 26 stabat, et ut steterat, grata caligine mersus ;  
 27 quamque diu durabat agon, horrentibus, horrens  
 28 palluit in tenebris, ac lamentabile risit,  
 29 dum reducem vultum discussis redderet umbris.  
 30 Utque Anchisiaden gradientem ad moenia Byrsae  
 31 interfusa parens spisso Venus aere saepsit ;  
 32 Hic quoque, si fas est cygno componere corvum,  
 33 restitit Aeneas, dubiaque in luce refulsit.  
 34 Os humerosque deo similis, qui in veste recincta  
 35 exercet furvos Siculo Cyclopas in antro.
- T14 v.1 Ergo etiam in fumo stat delectatio quaedam  
 2 non immensa tamen. Questus breviora gulai  
 3 Gaudia, ni extendat, conviva Philoxenus olim,  
 4 exoptasse gruis fertur sibi ductile collum.  
 5 Prorsus ad hunc gustum, mensuram ac vota quibusdam  
 6 tibia communis visa est angustior esse.  
 7 Expetit insolitae Bustoza proboscidis usum ;  
 8 totus, si posset, fieri cupiens elephantus,  
 9 ore voluptatis nebulosae flumen hiante  
 10 longius, et tanto vivacius attracturus.  
 11 Sed, quid si barri rostrum neget Hannibal Afer !  
 12 Subsidio veniens nova suggeret arma cavatus  
 13 Scipio, quem manibus portat, supplebit avenam  
 14 vulgarem, ingesto per nares undique fumo,  
 15 incensae faciem referens Carthaginis atram.  
 16 Amplius hic ausim. Plutonis Morsa tridentem  
 17 perforet, emissoque vomat sua gaudia vento !  
 18 Ecquid agat, compacta luto si fistula deficit.  
 19 Consilium dabit ars. Culmos aptabit, et intra  
 20 horrea trituram flavi implorabit Osiris.  
 21 Hoc tamen edico : stipulas adhibere parati  
 22 testari poterunt, haustu per stramina ducto :  
 23 nos documenta damus, qua simus origine nati.  
 24 Quippe caput nostrum vacuis impletur aristis.  
 25 Perque oculos stramen longis mucronibus exit,  
 26 quali collucent pagorum agrestia tecta.
- T15 v.1 Quamquam his praeteritis, posses ignoscere, si non  
 2 pluribus in villis, nonnumquam et in urbibus ipsis  
 3 damna crearentur, miseris deflenda colonis.  
 4 Subversi pulsique Lares, incendia totas  
 5 perbacchata domos, plenos vastantia vicos,  
 6 hinc causas habuere, volant super alta favillae ;  
 7 nocturnos late ventis spargentibus ignes.  
 8 Plurimus Ucalegon ardet, quae causa ? Tabaci  
 9 neglectus fomes. Sed habet nil taetrius in se,  
 10 quam quod ridiculos et eodem tempore flendos  
 11 infamesque facit. Miserabilior Crepereius  
 12 haut fuerit, noster quam Nomentanus, et Anxur  
 13 Marrichius, fratrum par nobile Nubigenarum.  
 14 Gordius ejusdem fermenti est atque farinae.  
 15 Verus enim pistor, toti notissimus urbi ;  
 16 nec male nummatus sed quando sobrius unquam !  
 17 Post fumum, cujus jam paene tricongius audit,



- 18       luctatur rhonchis, et in aurem dormit utramque,  
19       excepta qua parte ingens consurgit acumen.  
20       Hernicus everso scamnum ferit intestino  
21       pulchra verecundae videas spectacula cenae,  
22       cum refluo Euripo stomachorum mappa lavatur,  
23       Nauciades nihilo melior natus patre Nauci,  
24       arietat in medios postes, resilire coactus.  
25       Procumbit Brenzae Burrique illisa solo frons.
- T16      v.1       Cur Natura ferat naturam invertere natos ?  
2       Per nares, oculos, aures, per tempus utrumque,  
3       perque utriusque sinus exundat causticus imber.  
4       Omnia membratim facie turbantur in una.  
5       Auris odoratur ; nasum sonus implet ; anhelant  
6       lumina ; surrecti transfumant vertice crines.  
7       Qui toties animam exhalant, iterumque resorbent ;  
8       an non et toties miseri moriuntur ; et extra  
9       humanae sortis positi vivaria degunt !  
10       Quis bibit, ut sitiatur ? Vel quis sitit, ut bibat ignem ?  
11       Incensum lavat unda jecur. Per amabile frigus,  
12       Bacchaeos latices arentia labra rigantur.  
13       Paeticolae siccum poscunt calidumque vaporem,  
14       paene ad Tantaleae damnati crimina poenae,  
15       hinc tota ebrietas et compotatio pendet.
- T17      v.1       Est, ubi concilium cogunt, habitoque senatu  
2       quaeritur : optati quae spes affulgeat anni,  
3       quanto proventu. Vultus mutantur in horas,  
4       sollicitudo subit, cumulantque pericula curae  
5       constanti metuenda viro. Si falleret annus,  
6       occiderent omnes, quoties est impetus illis  
7       per mare, per terras Brasilorum invadere fines  
8       impetus est, totam pinu lustrare vagando  
9       Virginiam. Manet hoc a virgine nomen Elisa,  
10       regina Anglorum, tribuit Dracus ejus honori.  
11       Illi ergo eximii debet tuceta tabaci,  
12       quisquis harundineo feliciter utitur haustu.  
13       Quod si defraudet votum Fortuna caducum  
14       naufraga, vi venti, piratarumque rapina  
15       quam primum hic rumor laesas manarit ad aures,  
16       continuo facies videas tabescere luctu  
17       obductas ; ac si sata laeta boumque labores,  
18       spemque omnem campi stravisset grandine Caurus,  
19       vanaque subductis frigeret vinea botris.  
20       Quis tanto gemitu testatur fata sepultae  
21       conjugis ? Aut plorat natos cum matre peremptos ?
- T18      v.1       Fama secunda volat. Radix allata ferino ;  
2       appulsa est navis plenissima deliciarum.  
3       (Tali pestiferam dignantur nomine mercem ! )  
4       Protinus in cuneum concurritur, adque bidental.  
5       Obsecro. Quid narras ? Sic est ditissima ? Dixi,  
6       vidisti ? Hisce oculis. Quando ? Proclivior ibat  
7       Oceano Titan. Quis vexit ? Trompius euge !  
8       Illum ego praepono Tiphy, et tibi, dives Iason.  
9       O faustum, gemmaque diem candente votandum !  
10       Tunc surgunt animi ; redit in praecordia virtus.  
11       Vino oleoque nitent hilares, votoque fruuntur -

- 12       accumbunt ; fumant procul adventante carina,  
 13       tollitur in caelum fremor, et cum murmure plausus,  
 14       qualem non Naxos, non audivere Cithaeron ;  
 15       cum redeunt ad festa truces trieterica Bacchae.  
 16       Laudantur Nymphae, laudatur et Amphitrite.  
 17       Sparsa nitent glaucis undosa cubilia sertis.  
 18       Sunt qui Neptuno statuunt in caespite vivo  
 19       caeruleum mactare bovem, uxorique juvencam.  
 20       Litora complentur populi crescente tumultu.  
 21       Cuncta sonant stridore virum, clangore tubarum.  
 22       Ut redolet ! Foetet dicas, negat Assula. Dente  
 23       praemordens temptat, suaque oblectamina mandit.  
 24       Paene leoninus, certe est odor iste ferinus,  
 25       Papperlingus ait ; tantaque cupidine fervet  
 26       ut prae laetitia vix sit tremebundus apud se.  
 27       Dic : quanti venit pondo ? Regale numisma  
 28       poscitur. Hoc habeas. Servata pecunia quorsum ?  
 29       Virtus post nummos, post paetum sint mihi nummi.
- T19     v.1       Ecce alium in scirpo nodum, nova quaestio cunctos  
           2       exagitat, litemque movet ; qui parta tuemur  
           3       a sicco putrique situ ? Viterbius inquit  
           4       consulite in medium, et rebus succurrite fessis.  
           5       Mille artes et mille modos excogitat Hilson,  
           6       continuusque ejus Rusper ; ne tam pretiosum  
           7       exarescat olus. Rondela supervenit, et sic :  
           8       jure Venafrani valdeque recentis olivi,  
           9       suadeo, perfusum custodiat urna tabacum.  
           10       (Utile Salparum non sit quoque coctilium jus ! )  
           11       Cumque Damascenis jubeam te pingua prunis  
           12       defruta, et exceptas aprili mense pruinas  
           13       incoquere, et curva verbenas falce recisas.  
           14       (Juverit et vetulae plumas cornicis, et ursi  
           15       lambentis brumam, natumque Anthedone gramen  
           16       adicere Euboica. Quin et prosecta luporum.)  
           17       Hic interfatus Prescas : quae, Marce, requiris,  
           18       sunt operosa nimis, nostro distantia caelo.  
           19       Vix Medea garum nova tam mirabile nobis  
           20       conficiat. Tantum musto madefiat Ibero.  
           21       Sufficit iste liquor conservaturus abunde.  
           22       Sed durabilius, si non perflaverit Eurus,  
           23       Dertrimunda monet. Quare penus ima recondat.  
           24       Immo canis potius foveatur in utre marini,  
           25       subicit Ernestus, rabidae spes altera sectae :  
           26       (cur non Nereidum gremio, pistricis in alvo ? )  
           27       Quis tali studio, curis aequalibus unquam  
           28       providus expendit casus ac munia belli ?  
           29       Hac libra incertos redivit, certum aes alienum,  
           30       hac sibi praefixam fatalem examinet horam  
           31       fuscus ! An proles, et consors hispida lecti  
           32       possit ali, feretroque suum numerare trientem !
- T20     v.1       Non habet, unde casam tenuem, parvumque nepotem  
           2       sustentet vagus Alcidas : habet, unde venenum  
           3       Hannoviae fruticantis emat. Lustra intima quaeque  
           4       conducti tuguri, nihil invenies apud illum  
           5       urceolos praeter paucos, et cochlear unum,  
           6       ac patinas jam semesas ; mensamque rotundam,

- 7 sed fractam ; et sordes tabenti ex farre relictas.  
8 Ipsemet in culpa est totum qui prodigus assem  
9 in fumum et ventos, tamquam dispendia, jecit.  
10 Nunc eget ; et quamquam fisso thorace superbit,  
11 rimosae braciae transparent mille fenestris.  
12 Erigitur petasus plumis instructus, at idem  
13 pertusus. Stellatum ensem, sed acumine et omni  
14 castratum ferri virtute, acieque secante,  
15 manteli pendere dedit, quia baltea desunt.  
16 Lazarus hic Cento tamen (o vecordia) visum  
17 tale aliquod frustum caulis, multo aere licetur.  
18 Quo simul incaluit, fertur Phaethontis habenis  
19 indomiti. Nam quo Pyrois, Eous, et Aethon  
20 abripiunt, quartusque Phlegon ; sine lege modoque  
21 temperieque ruens, frangit tabulata domoque  
22 uxorem fugat et subolem, miserosque Penates.  
23 Sed non pauperies armata perinde fugatur.
- T21 v.1 Post Fabii Glarsi mortem, quamquam ille beatus  
2 creditur ac dives ; si fenebris auctio fiat,  
3 et bona venalem praetor citet ire sub hastam :  
4 quale decus, si nil superest ingentia praeter  
5 debita ! Nam ferale quidem genus omne tabaci  
6 et sicci et madidi facti infectique relinquet ;  
7 fictilium quoque non contemnendum numerum, et pro  
8 pluribus argillam. Sed cetera gaza toparchae  
9 vix octo argenti stabit, vel quattuor auri.  
10 Pars erit heredis miseri pinguissima, felis  
11 pone focum recubans, et inertis marcida somno.  
12 Tum scyphus in ventrem crescens, atque anulus unus  
13 jam levior gemma excussa. Fuit illa smaragdus  
14 debilis, et propius subtracto lusca nitore.  
15 Culter item longus cenae carptoribus aptus  
16 pugioque, et gladius brevior venaticus et dens  
17 ballaenae, pelvisque, et cancri crusta marini.
- T22 v.1 Multo est rancidius, quod jam memorabo. Ramiri  
2 Saxonis extincti nuper Lardisius heres  
3 factus, odorifero confertas pulvere cistas  
4 reperit : hoc stabat melioris portio gazae.  
5 Non biberat fumum : sed arenam saepe vorabat.  
6 Dicite censores : utra est dementia major,  
7 vel tolerabilior ? Jam mos inolevit edendi  
8 naribus ; hanc certe nescivit Apicius artem.  
9 Ulla gulae talis rumorem somnia dictant !  
10 Aerios carpunt nasi penetralia flatus,  
11 non ut nidorem, sed ut escam, atque illecebra haec est  
12 dapsilis. Et mira cerebrum ratione saginat.  
13 Vascula propterea ducuntur levia torno,  
14 pulvereum tereti servantia ventre tabacum.  
15 Ex ebore ac cedro variatur forma capacis  
16 alveoli. Tu rere librum, discumve trochumve.  
17 Erras : non trochus est, sed odora et mystica pyxis.  
18 Quam cupis ex omni numero ? Nam plurima prostat :  
19 lynx, lupus, agna, draco, tigris, vagina, phaselus.  
20 Nonne vides ? Crepidam pygmaeae virginis una ;  
21 una refert ocreas lento ductas argento.  
22 Intus acuta latent calcaria. Sume parumper :

23 et stimulis asinus valide se sentiet ictum,  
 24 sternutamentis suspensus in ilia crebris,  
 25 argutumque caput quatiet, brevibusque micabit  
 26 auriculis ; totumque Midam protollet in altum,  
 27 pulvis enim divinus inest et Olympicus ille,  
 28 cujus ab exortu numeretur justius aevum.  
 29 Certaue scribantur longis quinquennia saeculis.  
 30 Haec contra humores armamentaria pugnant.  
 31 Testis erit Gabiis ortus Baralonus, aequi  
 32 in paucis paetique tenax. Quot devorat Isthmos !  
 33 Quot vacuat modios, atomisque toreumata plena  
 34 nasutus capiti quoties irascitur hostis !  
 35 Mirum ! Vitta piaae, si non crepet aurea matris.  
 36 Quovis momento nubem attrahit in cerebellum.  
 37 Intonuere poli ; et crebris micat ignibus aether.  
 38 Fulgura mox, viscusque fluens, et fascia longum  
 39 dependens, madidumque gelu, et suspiria rupta.  
 40 Adversae rapida strident de nare procellae.  
 41 Ille etiam conus, mediam qui gnomonis instar  
 42 distinguit faciem, tandem quoque detereretur  
 43 perpetuo affrictu ; si non, quo more repandum  
 44 durat apri rostrum, similes duraret ad usus.  
 45 Sed callum obduxit, rastris quoque firmior uncis.  
 46 Prosubigat terram, nec verri cedat adulto.  
 47 Jam quae proluvies barbae ! Quae forma Charontis  
 48 impexi, et toto Amsanctum spirantis ab ore !  
 49 Laudo quidem morem antiquum. Si sternuit unus.  
 50 Optatur clamata salus. Sed rusticus Idmon  
 51 sternuit ingeminans decies ter, et amplius ohe !  
 52 Jam satis est. Seyfride, vales ? Seyfride, valemus ?  
 53 Ulterius spectare piget : quia taedia crescunt ;  
 54 laesaque tot vicibus repetitis vapulat auris.  
 55 Semper et assidue, quoties nova fulgura lucent,  
 56 dicere, Porce salus ; mussant iterare, negantque,  
 57 cur succurramus ? Qui scis, ait Alsar, an optet  
 58 interitum, vel non. Fata irritare videtur.  
 59 Aera sibi potius jubeat Campana sonare.  
 60 Nos certe tam grande malum relevare nequimus,  
 61 ut quid enim nasum numquam sinit esse quietum ?  
 62 Semper arat collem hunc, semper Nasturtius occat,  
 63 atque fimo fecundat odoriferae panaceae.  
 64 Hinc natos fructus quare non falce metat mors,  
 65 spicas jure suas ? Neque enim hanc emungere myxon  
 66 doctius ulla potest manus, aut detergere sulcos.  
 67 Quando ita constituunt ; sit jus, liceatque perire  
 68 talibus. Hellebori poteribus haut liceat plus.

T23

v.1 Quod stupeas, nullo teneri discrimine sexus  
 2 sumitur haec crambe. Sumit Chrestilla Trebati,  
 3 sumit Barsennae Laurentia, sumit Asella.  
 4 Sumunt Fabullae soror utraque, et utraque neptis  
 5 Mergissae. Sumit Catharinae filia Calpae ;  
 6 sumunt Teuseriae nurus, et Crescentia tatrix,  
 7 Claraque, et Agneti Blonchae vicina Marisca ;  
 8 quaeque forum semper raphanis Cessennia replet ;  
 9 et Mycale lotrix, et Petronella. Fuit, cum  
 10 Boiugenam audivi de conjugue multa querentem.  
 11 Multa quidem, sed et haec, undanti non sine risu,

12 ac limis oculis ; inopem mea Berta facit me.  
13 Scitanti causam ; non est satiabilis, inquit.  
14 Vini, an temeti sitiens ? Quin immo tabaci.  
15 Tantum emit, atque intra non totum prodigit annum,  
16 quantum sufficeret sex remigibus Gravelingae.  
17 Grande et conspicuum nostro quoque tempore monstrum,  
18 a vino mulier jejuna, sed ebria fumo.  
19 Non satis est, imberbe genus longeque comatum.  
20 Spiritibus tremulis oculorum et anilibus hircis  
21 oppositum speculum, foedo et livore notare !  
22 Hoc deerat, fumo nos inficeretis ut atro !  
23 Inque fugam cunctos empto foetore daretis !  
24 Balsama culparem minus, aut de messe Sabaea  
25 collectas segetes. Vobis desudet amomum  
26 Assyrium, et tereti stillantia cinnama libro.  
27 Quis furor est etiam pretio duplicare mephitim !  
28 Nulla fere novitas, qua non et femina sese  
29 induat. En, illud varium ac mutabile, Dido.  
30 Didones multas uno Cyllenius ore  
31 protulit, et Phrygio dedit evitare tyranno.  
32 Cum jecur irrumpens stimulavit dira cupido ;  
33 dulcibus assuetae sucis ac mitibus uvis,  
34 audent mellitis dapibus praeponere amarum,  
35 nescio quid redolens, ac formidabile germen.  
36 Spondeo, promitto, promissaque sancio voto ;  
37 imperet hoc, quisquis Galenum condidit ore ;  
38 damnabunt medicos. Ad visa absinthia flebunt.  
39 Quam mulier servare fidem, praestare pudorem  
40 possit, ab innato sensu genioque recedens !  
41 Naturae jura imploro. Gravidae Gargantae  
42 non tam ventre suus, quam furno includitur infans.  
43 Mirabor, si non aliquando prodeat albis  
44 decolor Europae cunis, et degener ; atro  
45 Aethiopi potius similis, Mauroque futurus ;  
46 scribendus fratres inter dubitabilis heres.  
47 Non emendatur, postquam est enixa : videbis,  
48 parvula maternam dum sugit nata papillam ;  
49 matrem Virginiae fumosam sugere cannam.  
50 Certant alternis nutrix et pupa Camenis.  
51 Ede : quid ex tali cisterna lactis, amoris,  
52 Virginis, hausturam speres, morisve pudici ?  
53 Quae fumum bibere assueta est, et pascitur illo ;  
54 quot fumos faciet, quot cornua nigra marito  
55 Cum semel invasit paeti furor, amphora molli  
56 circumagenda manu, praebet lenonibus ansam :  
57 ansam peccandi. Sic frangitur hydria casu ;  
58 arceat injustam Venerem, quae jam neque novit,  
59 quid sit justa Venus, capitis vertigine rapta !  
60 Quae caligantem nescit distinguere sexum !  
61 At non hoc probrum veteres docuere Sabinae  
62 nec quae Romana vigiles pro turre steterunt,  
63 cum jam perfractas Poenus transcenderet Alpes,  
64 ad nivium lapsus porta nutante Capena.  
65 Proice non habiles tubulos, dignissima prorsus  
66 florali Matrona tuba. Dignissima cujus  
67 limen, ut ad Semelen cum fulmine Juppiter intret  
68 sic Bacchi nova Mater eris, Bacchusque bimater.  
69 Vos moneo, quibus est augendi cura decoris

70 perdendive metus : ne sit Nicotia cordi,  
 71 neu fucate genas turpis fuligine cannae.  
 72 Eclipses vestrae nolite inducere formae.  
 73 Hanc satis invitis olim populabitur aetas.  
 74 Ipsa senectutis caries, ut in arbore vitam,  
 75 imminuet. Nullo cogente annosa venustas  
 76 atteritur, specieque sui flos carpitur aevi.  
 77 Vilibus ancillis pigmenta relinquire nigra,  
 78 hoc atramentum stantes sub fornice moechas  
 79 exornet, quarum nullus rubor inficit ora,  
 80 attrito pridem conturbatoque pudore.

T24 v.1 Haec satis ex plaustro. Nunc te, Guevarra, loquentem  
 2 si quid habes, audire libet. Defende tabacum,  
 3 si potes, et causae dubiae caput, aegide sumpta,  
 4 propugna, lustraue aciem. Si dicere fas est,  
 5 (et cur non fas sit, quando experientia testis) ;  
 6 creditur huic herbae de caelo numen inesse  
 7 fatidicum ; primi quantum sensere poetae ;  
 8 acribus ex paeto stimulis sub pectore versis,  
 9 vena fluit, properantque pedes, numerique frequentes,  
 10 ceu conjurati veniunt ad signa manipuli.  
 11 Hoc tumet, et jactat Lucas Bonarentius oestrum.  
 12 Namque simul cannae perlinxit sorbibile virus,  
 13 aestuat, inque orbem longo serpente rotatur,  
 14 ac velut Edono circumtonat icta Deo mens  
 15 inclamatque Evan Liber, magne Evoe Nisae.  
 16 Est Deus in nobis ; agitante calescimus illo ;  
 17 (est furor in vobis ; moto stultescitis illo)  
 18 Spiritus aetheriis ; (nisi sit contrarius axis)  
 19 sedibus ille venit ; (prope Cimmerias cataractas)  
 20 tunc opicos recitant versus, tunc enthea spirant  
 21 carmina, commotae vires testantia Cirrhae.  
 22 Hoc quoque confirmat Dorilas. Perpauca locutus  
 23 Cum Syringe sua (fuit olim nympa palustris,  
 24 fistula nunc Fauni. Phoebus contempsit habere)  
 25 effectus subito vates oracula fundit,  
 26 qualia Cumani sonuerunt cautibus antri ;  
 27 ut perhibent, qui de falsis immania fingunt.  
 28 Ocius a ventis rapiar, quo rapta dies est,  
 29 cum torsit retro Pelopis domus atra jugales.  
 30 Pegase, me prope defer majore volatu  
 31 trans maris extremi limbum, trans omnia transtra.  
 32 Quis ferat haec ? Helicon primum hac aetate repertus  
 33 a Brasilis, hominum lanionibus, inque macello,  
 34 fraternos sene cum patruo vendentibus artus !  
 35 Antiquos igitur detracto stemmate truncos,  
 36 Lucanum liceat contemnere Virgiliumque.  
 37 Neuter, ut ad culmen Parnassi ascendere posset,  
 38 et dignos cedro caeloque attollere versus ;  
 39 gustavit paetum nigramque adolevit acerram.  
 40 Non sua Papinius, Thebas aditurus et Argos,  
 41 ora vaporavit : sua nec gravis ora tragoedus,  
 42 horrendam matrem Scythicis ducturus ab oris  
 43 in Latium, et multo sparsurus sanguine flammis.  
 44 Sed neque inaudito fumi se flumine Naso  
 45 lavit ; et his thermis intactus Horatius exiit,  
 46 contentus testa Pompeio consule nata.

T25 v.1 Qui generis placet hujus ador ? Gens apta canoris  
 2 laudibus, atque audax cortinam attingere Phoebi,  
 3 ut subito ex humili fortuna nascitur, instar  
 4 Myrmidonum, temptatque fides ! Sed ineptius audi.  
 5 Divinare volunt, quos fumans tibia fundit,  
 6 observant apices ; et certa hinc omina captant.  
 7 Refert : deflectat dextram cauda anne sinistram  
 8 in partem, versus nascentis flabra diei,  
 9 an Zephyri sedem, vespertinosque recessus,  
 10 leniter, obliquo motu, an curvamine nullo.  
 11 Intendunt oculos, tamquam si sidera servent  
 12 tristia, et si fundo versuros regna cometas.  
 13 Caeci Tiresiae ! Quid enim nisi vestra videtis  
 14 crimina ? Supplicium vestrum, ultricesque Megaeras ?  
 15 Et vel Orestaea trepidos formidine Manes.  
 16 Nil opus augurio, si mentem advertere vultis ;  
 17 vestra Harpyia volans, seu rectius aura volucris  
 18 (immodico tales flatu vos additis alas)  
 19 in diram se vertit avem. Fit noctua tectis ;  
 20 funerei, nisi cessatis, praenuntia luctus  
 21 nam quid dissimulo ? Maturat visere plures,  
 22 qui cum plebe furit, multumque hac utitur herba,  
 23 praelibat tenebras Erebi, flammisque sonantes.  
 24 Parcarum digitos, suspensaue vellera necdum  
 25 scissa, Parontellus viridi praevenit in aevo.  
 26 Aerium siquidem dulce, et geniale serenum,  
 27 quaeque benigna natat vitali in lampade radix,  
 28 barbarus iste calor, crudisque vaporibus acer  
 29 saevius arrodit, corruptaque viscera torret.  
 30 Mox lapidescit hepar, concussaue regia cordis,  
 31 sacra animae sedes, nimio impugnatur ab aestu.  
 32 Debellaturus rigida cervice catarrhum,  
 33 debilitat paeto caput et cere- diminuit -brum.  
 34 An non destruitur mentis thesaurus, et arca,  
 35 in qua resplendent secretae mille figurae,  
 36 ut memorabilium subeant obliviae rerum !  
 37 Ac si Lethaeo novies ex amne bibissent,  
 38 sternuntur simulacra solo. Fuligine cellae  
 39 replentur, multoque sinus stipantur opaco.  
 40 Utcumque inculces, fugiens sepelitur imago  
 41 vix adeo meminit cenae Targisius anser  
 42 hesternae. Quid enim ventosa cucurbita servet !  
 43 Ergo Tabacophilus cum vespillone Geroldo  
 44 conveniat, vel cum medico Polyhistore. Nam sunt  
 45 arte pares ; et humant non infeliciter ambo.  
 46 Alter non pridem vicenos intulit urnae,  
 47 tam facili jactu ; quam quis bona verba precatur  
 48 defosso, terramque levem, et sine pondere mollem ;  
 49 portitor infernus Libitinae laudat utrumque.  
 50 Matura. Frustra multos inquiris in annos.  
 51 Cippus Alobandas chiragra, podagraque trinodi  
 52 irretitus erat, conatus pellere, nodos  
 53 adjecit plures, ac vivam denique calcem.  
 54 Quis melior mimus, comoedia laetior unquam  
 55 extitit ? Abdomen sumpto tenuare tabaco  
 56 Goffredus voluit ; sed crasso pinguior uro  
 57 factus, aqualiculum partes distendit in omnes.

58 Alcimus in terram nuper (vix fistula flanti  
 59 dempta fuit) coram natis ac matre Sabina  
 60 procubuit, subito ceu percitus astrobolismo.  
 61 Talibus instat enim, cum nubes spissa coacta est.  
 62 Deciduum summa Capitoli fulmen ab arce,  
 63 fatalem si non studeant avertere guttam,  
 64 gutta cavat lapidem ; sed multo certius illum ;  
 65 quem sua Deucalion jecit post terga, relictus  
 66 conjuge cum Pyrrha silices mutante puellis.

T26 v.1 Sed qui displiceat molles extrudere sensus  
 2 pectoribus timidis, animosque inducere fortes.  
 3 Nam simul intravit nares penetrabilis aer,  
 4 implevitque calor, justaque cor imbuit ira ;  
 5 totus, ait Garges, succensus Martis amore,  
 6 arma virumque cano, Libycis leo qualis in arvis,  
 7 cum propius viso radiant venabula ferro  
 8 erigitur, turbatque jubas ; et in obvia praeceps  
 9 sanguine gustato fremit ; indignansque pavere  
 10 obnixum valido jactu duplicatur in hostem.  
 11 Accipio heroem, magnisque inscribo triumphis.  
 12 Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae  
 13 alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam  
 14 tute igitur galeate lepus Gargescule ! Visu  
 15 terribilis, pedibus velox, doctusque Molossos  
 16 eluisse fuga ! Nempe interpuncta tabaco  
 17 corpora Bistonii majestas numinis implet !  
 18 Hoc opium est illud, quod sumere Thracius ante  
 19 classica Verpus amat. Si grana papaveris hujus  
 20 Musulmannus edit ; jam nulla pericula curat.  
 21 Mox alacer, qua nulla via est, per mille phalanges  
 22 obsessam expugnat Budam, scanditque Sigethum.  
 23 Nugae Atellanae. Quid ais sine pectore miles,  
 24 et sine cote ligo ? Tanta est in germine virtus  
 25 Tartareo, ut vires acuat, pulsoque timore  
 26 efficiat bellatores, animumque ministret !  
 27 Atqui militiam, nisi me praeconia famae  
 28 decipiunt veteris, non quilibet agmina miscens,  
 29 sed decorat solus nitrato ex pulvere fumus.  
 30 Hunc propius, cum jam pluit undique glandibus atris,  
 31 sulphureosque vomunt cava densius aera tonantes.  
 32 Olfecisse, datur laudi : vultumque cruore et  
 33 pulvere sordentem gaudens Victoria mulcet.  
 34 Cui caput obtusum est longis siphonibus haustis,  
 35 cor quoque et ensis erunt obtusa ; et robur hebescit.  
 36 Dum cerebrum fervet, vinoque agitur adusto,  
 37 proque sono optatos emittit bucina fumos ;  
 38 Bella quidem cupimus, Janique irrumpimus aedem.  
 39 Stant Agamemnonii fastus ; spiramus Atridas,  
 40 vix vapor abscessit ; simul una et pompa recedit  
 41 Martia. Laxantur nervi ; sedere calores,  
 42 inque pedes omnis fluxit sine mente Coroebus.  
 43 Turbati cecidere animi. Vanescit inanis  
 44 impetus, et sumptae labuntur vertice cristae.  
 45 Deficiunt vires ; ubi tunc vis illa tabaci ?  
 46 Scilicet ex furno prodibat Tillius, et par  
 47 Mersyus, et neutri dux Pappenhemius impar !  
 48 Cum prope conjunctis Alemannica frontibus arma



- 49 et Geticae strepuere tubae, Gustavus obiret  
 50 Caesareas acies, oculo metuendus utroque.  
 51 Scilicet in Gallos strinxerunt tela tabaco  
 52 oblita ! Francigenum fuscavit lilia paetum !
- T27 v.1 Cedite lucifugae, totisque absistite castris.  
 2 In pestem solam pestis valet ista fugandam.  
 3 Sunt consanguineae. Fratrum si gratia rara est,  
 4 quod vere cecinit Paeligni gloria ruris,  
 5 optandum est ut sit quoque gratia rara sororum.  
 6 Pelli autem scimus, cupimusque aconita venena,  
 7 ut sanat contra se pugnans scorpius ictum.  
 8 Ocius o procul hinc, sed non sine lite, diuque  
 9 rixantes, simul o dirae migrate sorores.  
 10 Vos ad Avernales exspectat tertia portas :  
 11 nuda pedes, exserta sinus, armata cupressu,  
 12 vivaces diffusa comas surgentibus hydris.
- T28 v.1 Ad summam, quis in urbe potens vel in arce Dynasta,  
 2 quis diadematus, vel quis torquatus, et ortu  
 3 inclitus, urticam tam vilem lambere curat ?  
 4 Quis civis paulum lictore decentior istam  
 5 contingit scabiem ? Damnamus Thessala philtra.  
 6 Vipera fusa mero, mistis turunda rubetis  
 7 vitantur. Cur non hujus quoque vasa furoris ?  
 8 Vir bonus ac prudens cautusque intacta relinquet  
 9 talia Cattigenis, navali robore natis.  
 10 Et si qui assuerunt bis coctum rodere panem.  
 11 Deinde lanistarum hoplomachis, tum sandapilarum  
 12 fabris ; et quorum pendet longissima vita  
 13 funibus a piceis. Seu quorum vivere totum  
 14 nil nisi fumare est, et convomere, et male olere.  
 15 Ducendi ad laqueum et furcam, tristemque machaeram  
 16 carnificis, quando statuunt sic Fata, sinamus,  
 17 mordaces relevent curas, abigantque timorem.  
 18 Pinnirapus bibat et squallens in compede fossor.  
 19 Urget in hoc puncto leti miserabilis horror,  
 20 dum praesens metus anticipat lugubre futurum.  
 21 Forsitan Hippocrates etiam permiserit aegris.  
 22 Cur sani inconstant superos afflatibus Orchi  
 23 ante diem ? Veniet sententia iudicis aequi  
 24 numquam sera nimis. Satis huc cito labimur, unde  
 25 nemo redit. Tunc nocte frui fumoque licebit.  
 26 Quod si prurit adhuc praecox et iniqua cupido,  
 27 sollicitent Hecaten. Potum dabit ista triformis  
 28 vultu alio, et plenis torrentibus obruet ora.  
 29 Non caret annona celebris Proserpina paeti.  
 30 Fert natale solum, felici atque ubere gleba  
 31 herbarum, lacrimas quae possunt exprimere udas.  
 32 Et certum est, fumum non deesse nocentibus Umbris.  
 33 Interea, ne nos passim gustemus Avernum,  
 34 conducant Liparam, nisi totam visere malint  
 35 Aeoliam ; sed quam contraria respicit Arctos.  
 36 Cautior his monitis Taracellus summa domorum  
 37 culmina et arcani tacitus subit antra recessus :  
 38 saepe ubi nocturnae martes cum corte loquuntur,  
 39 et struit aestivos admissa ciconia nidos.  
 40 Non aliter quam si somno funambulus iret,

41 turribus emensis adnitebatur in altum ;  
 42 tutior ut faceret nebulas, noctique litaret,  
 43 nemo habitare potest, ubi fixit castra. Sed ad tres  
 44 primos, Virronem, Maracostamque et Syrogoffum  
 45 nondum pervenit quamvis Syrogoffus utroque  
 46 praestet. Uti conum communem Regulus anteit,  
 47 et fungum excedunt circum viburna minorem.  
 48 Nec Maracosta quidem se comparat. Hic bibit unus,  
 49 quod multos sternat, stratosque extendat arena.  
 50 Tali Nubigenum tribus est tibicine fulta.  
 51 Turbineus vortex non raro in principe solum  
 52 obnubit platea ; tota fumante subura.  
 53 Contentus non est unius harundinis usu.  
 54 Uno oculo contentus erit. Nec abesse queretur  
 55 sidereum fratrem paeto vitiante peremptum.  
 56 Et dubitamus adhuc irritamenta malorum  
 57 damnaque tantorum, Brasilas avertere cannas !

T29 v.1 Vos ego rectores terrarum Orbisque potentes,  
 2 alloquor ; huc sceptrum, vestras huc vertite curas,  
 3 aurificesque omnes et amantem flumina Fiscum,  
 4 qualia sunt Ganges, Tagus, et Pactolus, et Hermus.  
 5 Sit praeter contos stantemque in litore Malchum  
 6 jus aliud, reliquis minuatur grande tributum  
 7 navibus impositum ; quidquid flagrantius aliam  
 8 taxando Cererem, carumque flagellat Iacchum.  
 9 Mercibus infernis vectigal ponite majus.  
 10 In paetum liceat domina saevire bilance.  
 11 Fumificae pecudis fas sit deglubere pulpam.  
 12 Invenietis enim flaventis pelliculam auri.  
 13 Hos saccos, quibus est insertum pingue tabacum,  
 14 excutite, atque adipem derasi assumite lucri,  
 15 cetera clementes, largi similesque bonis diis.

T30 v.1 Finio compositis saturam procedere velis  
 2 Calliope lassata jube. Tum dente tenaci  
 3 ancora, fac, proram firmet, portuque relicto  
 4 Castalidum, nostram speciem vocemque coloremque  
 5 assimilans, longamque umbram, maciemque timendam ;  
 6 Magni Guevarrae propere te confer in aedes.  
 7 Forsitan indignans primum aversabitur, et se  
 8 subtrahet alloquio. Tu ne perterrita cede ;  
 9 sed praeclude fugam, tantoque ferocius insta ;  
 10 et sanaturum, quaqua potes,ingere carmen.  
 11 Sic autem invades. Ideo tot dotibus auxit  
 12 naturam Fortuna tuam, ficumque comantem ;  
 13 ut tubicen fieres ! In te sunt omnia summa :  
 14 ingenium, Ajacis clipeo septempace majus,  
 15 iudicium, quantum possit sibi quisque negare,  
 16 Mnemosyne, qualem neque se comprehendere novit.  
 17 Raptus es ad Rhodanum juvenis, celeremque Garumnam.  
 18 Diceris et propius florem olfecisse superbi  
 19 candoris. Sed odor nasum tremefecit Iberum.  
 20 Ex quo caesariem Veneti maris aequore lotam  
 21 Hadria, et in patriam Florentia culta remisit ;  
 22 Italus es Cicero. Quis enim facundior alter  
 23 Tusca loqui, et nitida Bojos condire Siena ?  
 24 Mente capis, quaecumque vides, sint summa vel ima.

25 Sed quid si offensus taetri nidore tabaci,  
 26 ingenii lucentis olor vocisque canorae  
 27 avolet, et vacui linquat vestigia nidi.  
 28 Dic mihi : quo tanti generis fiducia, vel quo  
 29 atria Guevarris extendens nobilitas, et  
 30 sublimes passus Hyperionis Aemiliani !  
 31 Si nautas inter non tantum prandet et errat,  
 32 sed simul ex pacto foetet ! Quae gloria gentis,  
 33 ante sacram Patris effigiem, cerasque loquaces.  
 34 Atque triumphales arcus agitare caminum,  
 35 et diis invisio buccas distendere fumo !  
 36 Si Petrum bellator equus, rasumque volumen  
 37 pumice Palladio, Ludovicum fistula signet  
 38 vel spernenda Phrygi, flueret cum Marsya nondum !  
 39 Jamque vale : et nostrum non aspernare laborem.  
 40 Ne dicas : sicut Pietas laudatur et alget ;  
 41 haut aliter versu Paetum damnatur et ardet.  
 42 Neu pudeat justae victum succumbere causae.  
 43 Vincit, suadenti qui talem porrigit herbam.

T31 v.1 Haec ad Danubium, refici quo tempore pontem  
 2 vidimus, insano bellorum turbine fractum,  
 3 arce Nova. Vastis cohibens ubi molibus Istrum  
 4 ante Palatini clivo subnixa Philippi  
 5 moenia, confuso stringentem gurgite ripas ;  
 6 Nereus Anglipolim transmittit, et inde Viennam ;  
 7 cornibus augendum, majoremque usque futurum,  
 8 donec in Euxino perdat sua nomina ponto.  
 9 Nos quoque nostra brevi modica perdemus in urna.  
 10 Amnis more fluens undatim vita recedit,  
 11 vorticibusque suis rapitur declivior aetas,  
 12 post varios flexus tumulum subitura profundum.  
 13 Festini liquidis decurrunt passibus anni  
 14 flumineo motu, neque enim consistere possunt.  
 15 Quantum praeteriit dum scribimus, atque movemus  
 16 invidiam sicco ventum potantibus ore !  
 17 Quod loquor, hoc inde est, nullo revocabile gyro.  
 18 Nescit lapsa semel cum fluctibus hora reverti.  
 19 Nonne tibi faciem veniens ostenderat unda ?  
 20 Quae tamen instabilis mox tergum mobile praebet.  
 21 Sic intra positas homini data tempora metas,  
 22 tamquam claustra meant : urgente crepidine certos  
 23 menses atque dies. Sensim dilabimur omnes  
 24 in mare sicut aquae. Musae, Charitesque venustae,  
 25 insontesque joci ; Satyri, Saturaeque valete.